Fragmentarium

mirabilibus super me. Sed quid si non
humiliter sentiebam, sed exaltavi animam
meam. Sicut ablactatum est super matre
sua, ita retribues in animam meam. Unde
fratres, si summe humilitatis volumus cul-
men attingere, et ad exaltationem illam ad
quam per presentis vite humilitatem ascenditur
volumus velociter pervenire, actibus nostris
ascendentibus scala illa erigenda est
que in somnio Iacob apparuit, per quam
illi descendentes et ascendentes
angeli monstrabantur. Non aliud
sine dubio descensus ille et ascensus
a nobis intelligitur, nisi exaltatione
descendere et humilitate ascendere.
Scala vero ipsa nostra est vita in seculo.
que Que humiliato corde a domino erigitur ad
celum. Latera enim eius scale dicimus
nostrum esse corpus et animam, in qua latera
diversos gradus humilitatis et disci-
pline evocatio divina ascendendos
inseruit. Sequitur capitulum

De primo gradu humilitatis

p Primus humilitatis gradus
est si timorem dei sibi ante
oculos semper ponens ob-
livionem omnino fugiat, et semper sit me-
mor omnium que precepit deus, qualiter contemp-
nentes deum in gehenna pro peccatis in-
cidunt, et vitam eternam que timentibus
deum preparata est animo suo semper re-
volvat. Et custodiens se omni hora
a peccatis et viciis, id est cogitationum,
lingue, oculorum, manuum, pedum vel
voluntatis proprie, sed et desideria carnis

festinet amputare. Estimet se homo
de celis a deo semper respici omni hora et
facta sua omni loco ab aspectu divini-
tatis videri, et ab angelis omni hora
renunciari. Demonstrat nobis hoc
propheta, cum in cogitationibus nostris ita deum
semper presentem ostendit dicens: Scrutans
corda et renes deus. Et item: Dominus no-
vit cogitationes hominum. Et item dicit: Intel-
lexisti cogitationes meas a longe.
Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi.
Nam ut sollicitus sit circa cogitationes
suas perversas, dicat semper utilis fra-
ter in corde suo: Tunc ero immaculatus coram
eo, si observavero me ab iniquitate mea.
Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur,
cum dicit scriptura nobis: Et a voluntati-
bus tuis avertere. Et item rogamus deum in
oratione ut fiat illius voluntas in nobis.
Docemur ergo merito nostram non facere vo-
luntatem, cum cavemus illud quod dicit sancta
scriptura: Sunt vie que videntur ab
hominibus recte, quarum finis usque ad
profundum inferni demergit. Et cum item
cavemus illud quod de negligentibus
dictum est: Corrupti sunt et abhominabi-
les facti sunt in voluptatibus suis.
In desideriis vero carnis ita deum credamus
semper esse presentem, cum dicit propheta domino: Ante te
est omne desiderium meum. Cavendum est ergo ideo
malum desiderium, quia mors secus introitum
delectationis posita est. Unde scriptura pre-
cipit dicens: Post concupiscentias tuas non
eas. Ergo si oculi domini speculantur bonos
et malos, et dominus de celo semper respicit

foliated 8-IX-1949

MS Lat 184
THE HOUGHTON LIBRARY
*41-385

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 184, rear pastedown – Benedict of Nursia, Rule of St. Benedict (https://fragmentarium.ms/view/page/F-6bbo/8736/66220)